

compromissarius ut supra, præcepit mihi Notario infra scripto, ut conficerem duo instrumenta ejusdem tenoris si expediens fuerit. Interfuerunt testes vocati, & rogati frater Nicolinus Passanus Prior dictæ Ecclesiæ S. Stephani, frater Baudelinus Trinchetus professor domus S. Joannis dictæ de Cappuccio, & Gayarinus de Bistagno habitator Alexandriæ, & quamplures aliæ personæ ec. subscriptum prout infra.

Ego Nicolinus Stortilionus filius Domini Jacobi de Alexandria publicus Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interfui, & hanc cartam mihi justam exerui, & rogatus scripsi, & subscripsi cum signo Tabellionatus.

*Consilium IC. Andrejci de Fabriano in controversia de pistrino inter Ep. Aq., & Enrigonum de Calamandrana. Ex membrana Capituli.*

299

MCCCXLIX.

Anno Domini MCCCXLIX., iudict. II. die XXIX. Januarii. In castro Incisæ præsentibus D. Alberto Marchione Incisæ, & Præposito Ecclesiæ S. Johannis dicti loci. Verbebatur controversia inter D. Guidonem Aquensem Episcopum, & nobilem virum D. Enrigonum de Calamandrana ex DD. Montisboni, quod quoddam molendinum cum ejus ædificiis, & apparatu, & quædam turris dicto molendino contigua, constructum per ipsum D. Enrigonum in rivo Potazzani in territorio Tertii in contrata, quæ dicitur in Vivellis, debebat tolli ecc., quia fundata erat in posse ecc. D. Episcopi, in quo nullum D. Enrigono jus erat; tum quia (pistrinum) fiebat in præjudicium ecc. alteri molendino ipsius D. Episcopi constructo in parte inferiori ipsius rivi, & quia talia pontatica, & molendinorum constructio dicuntur esse regalia, & dominorum jura, quæ ab Imperatoribus concedebantur, qui cum Cavatorio & Tercio ecc. dederunt cum suis pertinentiis, & aquis, aquarumque decursibus Ecclesiæ Aquensi ecc., & quia rivus Potazzani est flumen, licet quandoque arefcat. Fuerat vero compromissum factum de hac quæstione in D. Dominicum Maseherum de Bestagno jurisperitum, ut patet ex instrumento Francisci Novelli de Tercio Notario MCCCXLVI., indictione XIV. ultima julii, qui consilium suum habuit, sed cum diem clausisset extremum, remanserunt ejus scripturæ penes ejus hæredes in quoddam sacculo ligatæ, & sutæ. Cupientes autem supradicti . . . compromiserunt in nobilem, & potentem virum Gullielmum Marchionem Incisæ hoc modo, quod dictus Gullielmus deberet aperire saccum, & scripturam de hoc ibi repertam promulgare, quæ quidem coram pluribus testibus reperta fuit, in cujus dorso hæc legebantur: consilium mei Francisci Andrejci de Fabriano minimi legum Doctoris vicarii D. Potestatis Januæ, in qua aderant jurium allegationes, ex quibus probabat injustam fuisse ædificationem molendini, ac proinde debebatur destrui ecc.

*Notitia sententiæ circa jura Episcopi Aquensis in oppidum Castrinovi Burmiæ. Ex Chartulario Guidonis II. Episcopi pag. 15.*

MCCCXLIX.

300

Anno Domini MCCCXLIX. ecc. præsentibus D. Gullielmo Archiprebitero Aquensi ecc. Declaratum, ac sententiatum fuit, quod Commune, & homines Castrinovi Burmiæ juxta quoddam publicum instrumentum præteritis temporibus factum ecc. tenentur dare annuatim Episcopo, & Ecclesiæ Aquensi libras VIII. cujusdam monete ecc. quæ tunc conficiebant libras VIII. cum dimidio Januæ. Item tenentur de una albergaria annuatim. Item dare unam mulam, & unum famulum per tres menses, quoties dicto D. Episcopo contigerit ire ad Romanam Curiam, vel ad Dominum Imperatorem. Item quoties contingeret Episcopum construere de novo aliquam terram, teneantur venire ad adjuvandum ædificare dictam terram, sive locum. Item ei facere fidelitatem sicut ceteri homines Episcopatus Aquensis.

*Eadem pagina habetur Aquensis Episcopus habet omnes rivaticos & aquaticos a poderio Sexami, quousque Burmida intrat in Tanagrum, molendinum de Ponzono feudum Episcopi, molendinum de Bagnoliis, molendinum de Fatixiis. Beccaria de aquis est feudum dicti Domini Episcopi.*

*Renovatio publicationis instrumenti circa investituram decimarum Ponzoni Ec. Marchionibus hujus loci facti, atque ejus sinceritatis defensio. Ex membrana Capituli.*

MCCCLI.

301

Anno Domini MCCCLI., indictione IV., die XXIX. martii in castro Episcopali Bestagni, præsentibus Gullielmello, & Odonello fratribus, & filiis quondam Carranti de Incisa, & Joannono de Guilia de Murbello testibus vocatis, & rogatis. Cum per Rev. in Christo Patrem, & D. D. Guidonem Dei gratia Aquensem Episcopum, & comitem Dominum generalem in spirit., & tempor. loci Cavatorii ex una parte, & infra scriptos Dominos Marchiones de Ponzono ex altera fuisset propositum debere fieri, & in formam publici instrumenti redigi quoddam publicum instrumentum per manus Joannini de Castello de Tresobio Notarii, cujus instrumenti tenor talis est. In nomine Domini amen. Anno Domini MCCCXLII., indictione XI. die XVII. nov. (vide supra n. 288.) & prædicti DD. Marchiones forsitan non bene instructi de qualitate, seu pro veritate facti prædicti videantur asserere, ut relatum fuerat dicto Joannino Notario, & etiam ab ore ipsorum Dominorum Marchionum audiverat, ut dicebat Joanninus prædictus, quod prædictum instrumentum non fuerat, nec erat in publicam formam redactum veraciter, seu integrum, secundum quod per dictum Dominum Episcopum, & dictos Dominos Marchiones fuerat sibi præceptum. Ob quod ipse prædictus Joanninus Notarius volens uti